

quatenus simpliciter homines , sunt subjectum & materia Civitatis , cui proforma est Respublica , quia verò civitatis finis est in beatitudine & felicitate vivere , ideo necesse est ut in ea viventium corrupta natura non tantùm lenibus remediis , sed & si nihil hisce proficiatur acriori vi refrænetur , & intra virtutis orbitam coērceatur mediante Jurisdictione , quæ cùm sit accidens , subjectum quod ipsi det esse inquirendum esse patet , & quidem subjectum primum, proprium & adæquatum , non id quod per participationem influit , ac proinde nequit accidentibus cognoscendi principia suggerere.

## Thes. XIV.

Ex quo sequitur incassūm laborasse illos qui Jurisdictionis naturam ex Prætoris , Proconsulis, vel denique cuiusvis magistratus , quibus non formaliter ac primò, sed per participationem competit , officio seu Jurisdictione , hactenus dimensi sunt, negari enim non potest fuisse Respublicas, & adhuc consistere posse , ubi Majestas præ paucitate ciuium non indigeat magistratum , uti etiam initio civitatis Romanæ omnia manu à solis Regibus gubernabantur *Pomponius l. 2. §. 1. de Orig. Jur.* quis quæso hic Jurisdictionem ex potestate magistratum definiet? Et si illi disputationes ad Romuli & sequentium Regum tempora ubi ignoti Proconsules , ignoti ciuilium & criminalium rerum magistratus , respicerent, credo nullam ibi fuisse Jurisdictionem affererent, aut certè ex magistratum potestate non esse definiendam jurisdictionem tandem agnoscerent , estque extra dubium, si status nostrorum Principum & civitatum redigendus esset ad normam Jurisdictionis quam Jus Civile Romanum supeditat, nihil aliud posse effici, quām juris quæsiti per tantum tempus summotionem ; Ratio ejus , quod cum facies